



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Athanasivs Episcopvs 2. Maii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

patientem. A tanto tempore vocat te Deus, voce
ejus audis, nec tamen pares: tot offert occasiones
agendi ac patiendi, quomodo iis uteris? Si dolere
possent Beati, dolerent profecto quod dimiserint
occasiones agendi & patiendi pro Christo.

2. Ubi primum S. PHILIPPUS Christianus factus
est, ejusdem boni Nathanaelem participem voluit,
eum enim adduxerat ad Christum. Si Deus aliquam
facultatem tibi dederit procurandae alienae salutis, ne
frustra eam acceperis. Suggere pia consilia amicis,
domesticis. An id agis? An non contra, multos
offendis pravus verbis, & solutiore vivendi ratione?

3. S. JACOBUS justus credebatur, ac dicebatur ab
ipsumet, qui necem illi intulerunt. Orationibus,
modestia, duriori vitae genere hoc justum nomen me-
ruerat. An bene audis ab hominibus? sciscitare ab
amicis. Audi exprobrationes inimicorum, & detra-
he materiam exprobrationi: sed in primis attende,
quo in loco sis apud Deum: ausculta vocem consci-
entiae tuae. Si publica fama te non damnat, propria
*conscientia condemnat, quoniam nemo potest
seipsum fugere. Bern.*

**S. ATHANASIVS
EPISCOPVS**

2. Mail.

Beati estis, cum maledixerint vobis

V 2

homines

*homines, & persecuti vos fuerint,
& dixerint omne malum adver-
sum vos, mentientes propter me,
Matth. 5.*

NON raro pueritia toti vitæ præludit.
Ita ATHANASIUS Alexandriae inter lu-
sus adolescentiæ puer à pueris in Episcopū
lectus, natu deinde grandior ab ipsomet
cælo est confirmatus. Difficile est dictu,
quæ bella jam Pontifex cum Arianis gesserit.
Producta in medium concilium muliercula,
vim pudori suo illatam mentiebatur ab A-
THANASIO, quam ne noverat quidem. Hic
alius nonnemo & suppetias laturus inno-
centiæ, ideoque ATHANASIUM sese assimu-
lans; heus, inquit, egone vitium tibi feci?
mox illa; tu verò ipsissimus. Ita cum & se
& impietatem omnium risui exposuisset,
exclamant Ariani occisum ab ATHANASIO
Arsenium (quem eam ob rem illi aman-
daverant) proferuntque manum velut
incantationibus ab eodem devotam. Sed
in tempore amici innocentis reduxerant
Arsenium. Is itaq; in templum progressus,
vitaque suæ ipse testis ostendit, se quidem
utramq;

ueramque manum, ceterum accusationem
nec caput nec pedes habere. Exul nihilo-
minus sæpè ATHANASIUS totum penè orbē
pererravit. Annos in cisterna quādam lati-
tavit V. indeque in impios calamo egregiè
pugnauit. Fugienti cum hostis instaret,
navim vertit, jamq; obuius quarenti, num
ATHANASIUM vidisset, respondit, non
longè illum abesse. Ita rectà Alexandriam
reversus, in patrio conditorio inter mor-
tuos quatuor menses vixit, inter vivos de-
inde mortuus Anno CCC LXXII. nunc
inter mortuos iterum vivit. *Ex Surio.*

M E D I T A T I O

De persecutionibus.

1. **D**Eus permittit, ut servi sui vel fidelissimū
persecutionibus probentur; tum ut expi-
ent leuia quædam peccata, tum, ut majus præmi-
um accipiant, tum denique, ut cautiores
facti, rebus prosperis non insolescant. In om-
nibus persecutionibus Deus gloriam suam & ani-
mæ tuæ salutem quærit; eas itaq; non querulo, sed
grato animo patiaris. Deus mala immittit, quòd
bona neglexeris; æquum est, ut, qui beneficiis non
intelligatur, plagis intelligatur. *Cyprian.*

2. In omnibus accusationibus, vide, utrum ob-

V 3

p. 314

20) 218. 602
jecta tibi crimina commiseris. Si factorum premaris conscientia, veniam pete a Deo. Dole, non quod acculeris, sed quod aliquid commiseris accusatione dignum. Deo gratias age, quod ope inimici tui vitium cognoveris, cuius ignorantia morte animæ illatura erat.

3. Si falso accusaris, si propter bonam aliquam actionem vexeris; & lætari, & grates Deo referre debes, quod patiaris propter iustitiam: Ne sis admodum sollicitus de objecto crimine: serius, ocius illud diluet Deus. In persecutionibus tuis memento, quod sæpè filios patrum familias per nequissimos servos emendari jubet, cum illis hereditatē, hīs corpore pedes præparet. Aug.

INVENTIO S. CRUCIS.

3. Maii.

*Qui non accipit Crucem suam, &
sequitur me, non est me dignus.*

Matth. 10.

GAudent alii crucem, quam cœlum
mittit, missam amittere; at amissam
olim Christi crucem invenisse hodie se gau-
det Helena & triumphat. Rei gestæ ordinem
hîc habes. Latebat crux terrâ, plus odiis
Judæorum